

R. 349 28. Q. 25. B. 6. num. 40.

QVOD DEUS FELIX FAUSTUMQUE ESSE JUBEAT
DISSERTATIO JURIDICA,

DE EO 1712, 7
QUOD CIRCA
STIPENDIA
AD STUDIA
JUSTUM EST,

QUAM
SUMMO ADSPIRANTE NUMINE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,
DOMINO



PHILIPPO WILHELMO,
S.R.I. COMITE de BOINEBURG,

SACRA CESAREÆ ATQUE REGIÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESiarum, MOGUNTINÆ ET TREVIRENSIS CANONICO CAPITULARI SENIORE, ET RESPECTIVE SUPREMO CHORI-EPISCOPO; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIQUE ERFFURTENSIS PRO-PRINCIPE, ETC. ETC.

INDULTU CELEBRIMI FCTORUM ORDINIS
SUB PRÆSIDIO

DN. TOBIAE JACOB REINHARTHs / J.U.D.

NEC NON REGIM. AC JUDIC. ELECT. MOGUNT. ERFFORD.

ADVOCAT. ORDINARI,

D. I. JULII, MDCCXII.

HORIS LOCOQUE CONSUETO

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET

GEORG HEINRICH DE ZIEGLER,
ERFF. LL. CULT.


Typis JOH. HENR. GROSCHII, Acad. Typogr.

**DEO
PATERIAE
PATRONIS.**

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

§. I. Studiorum necessitas
indeque promanans uilitas, atque
Dissertationis occasio. §. II. & III.
Stipendiū derivatio variaque ac-
ceptio. §. IV. Origo Stipendiorum.
§. V. & VI. Varia Stipendiorum
fundatorum exempla. VII. Thilo-
lonis Ziegleri fundatio Erfordien-
sis de Stipendio familie. §. VIII.
Quis possit Stipendum fundare.
§. IX. An famina. §. X. An Fa-
viosus. §. XI. Utrum impubes. §.
XII. An Sordidus & Mutius. §. XIII.
An prodigus. §. XIV. An Cæcüs.
§. XV. Num Filius familiæ. §.
XVI. Objectum Stipendiorum.
§. XVII. Modus Stipendia consti-
tuendi varius; inter quos etiam
donatio, que, si 500, excedat soli-
dos, an insinuatione indiget,
quod de jure civili affirmatur, con-
tra Anton. Fabruo. §. XIX. An in
eiusmodi testamento stipendii ad
studia præcisè & pro forma duo
testes requirantur? Neg. contra Lau-
terbach. §. XX. Si testator preter
piam causam alios heredes eximi-
neos insinuat, vel legata relinquit,
an accrescant horum portions sti-
pendia? §. XXI. Considerat sti-
pendiorum actualem collationem.
§. XXII. Executor non potest alium
executorem pro arbitrio eligere. §.
XXIII. Non tamen potest ad hoc
officium suscipiendum invitus cogi.
§. XXIV. Curator bonorum Exe-
cutoris interea sustinet officium. §.

XXV. Quis conservat stipendium, se
in fundatione nullus Executor de-
nominatus? §. XXVI. Executor te-
netur ad rationes reddendas. §.
XXVII. An Executor bonorum
pro fætâ collatione à stipendiato
jure actionis exigere valeat? §.
XXVIII. Femina stipendium ac-
quirere nequit. §. XXIX. Nec furio-
sus. §. XXX. Neg. Iudeus, cui ne
quidem alia res legari potest,
quamvis DD. communiter disser-
tant. §. XXXI. In stipendio fami-
liae incapax est, qui non de denomi-
natâ familiâ. §. XXXII. Quid ju-
ris, si ex una familiâ plures ad sint
Competitores. §. XXXIII. An ad
proximitatem in gradu sit respici-
endum. §. XXXIV. Ad cuius inve-
stigationem ad Jus Civile non Jus
Canonicum recurrendum. §.
XXXV. Interdum solo Executo-
rum arbitrio collatio subjicitur. §.
XXXVI. An possint Executores sti-
pendium inter duos dividere, vel
forte committere? §. XXXVII. Si
in integra familia nullus capax sit,
quid faciendum, & an ad alium u-
sum applicandum? §. XXXVIII.
In stipendio ad certæ civitatis libe-
ros restriicto quid observandum? §.
XXXIX. Stipendiorum effectus
quinam? §. XL. In possessorio quo-
modo possit peti Stipendium. §.
XL. Quomodo in petitio. §.
XLII. Modi amittendi Stipendia
quinam? & reliqua.



Q. D. B. V.

De eo, quod circa stipendia ad studia justum est.

S. I.



Ostquam iussu Patronorum quorundam publica mediante Dissertatione studiorum meorum reddenda erat ratio, prima omnium cura ad convenientem & haud pertritam dirigebatur materiam. Dum autem medias hærebam inter lucubrationes, egregia ista literarum in Republica tam utilitas quam necessitas in mentem incidebat. Siquidem nihil unquam existit, quod supra brutorum conditionem nos magis elevat, quam literarum ac scientiarum cognitio, cum illa sit, quæ nostros mores purgat, ex barbarie nos retrahit, sensum jucundum nostrum ad discer-

discernendum verum à falso & ad prudenter difse-
rendum de omnibus rebus, illustrat. Vid. *Zr. de la
souver du Roi*, *Liv. 4. Chap. 12.* utut enim non pauci
sint, qui cum Licinio Imperatore scientias artesve
pestis, & literatos veneni titulis insigniant; rectius
tamen horum principia tyranni potius, quam boni
principis esse, ex Saavedra in *Idea boni Principis
Symb. polit. 66. §. alibi scientias*: judicavit celeberr.
Ahav.Fritsch.tr.de stipend. *cap. 1. n. 16.* Cum autem
præsuppositâ hâc literarum in Republica necessitate
nullum commodius ad istarum instaurationem ac
conservationem excogitari possit remedium, ipsis
stipendiis ad studia determinatis; hinc præ cæteris
pluribus dictorum stipendorum materia ita pal-
mam præripuit, ut hacce in Dissertatione de ipsâ
pertractare mihi destinaverim. Non ignoro equi-
dem, istam è fontibus suis derivaram distincteque
propositam exhibuisse ingenia, eruditione tam sa-
cra quam profana longe instructissima; sed hocce,
ut à proposito desisterem, eo minus efficere pote-
rat, quo certius est; Nihil, quod non dictum sit,
hodie dici posse.

§. II.

- Stipendii itaque vox testante JCto Ulpiano in
L. 27. §. 1. ff. de V. S. à stipe æris genere militibus in
præmium laboris solvi solito. Perez. *ad tit. C. de his,*
qui non implet stipend. n. 1. Freudenberg. *de Rescript.*
Morat. *tit. 7. concl. 44. n. 44.* & pendere, vel quod per
stipes fuerit collectum, notante Schardio in *Lex. Jur.*

f. 887. & Putean. *de stip. mil. cap. II. p. 12.* vel quod ex usu æris rudis adpendi, ac ponderari consueverit, juxta Salmas. *de Usur. p. 570.* & seqq. unde & Libri pendes dicti sunt, qui quæstori in attribuendâ pecunij serviebant, derivationem recipit. Hinc miles Stipendiarii nomine non rarò venit; quamvis referente Contareno de jur. milit. l.l. c. 24. illi demum Stipendiarii in specie ita dicti fuerint, qui vicina compleverant militandi pericula.

§. III.

Variam autem Stipendum habet acceptiōnēm. Interdum enim pro labore accipitur, quia non nisi merenti datur, & dicuntur stipendia facere, seu merere illi, qui operæ militari fere devotevent. Nonnunquam idem ac annos Militiæ denotat, ut apud Tacitum L. 3. Annal. c. 33 n. 1. ubi 40. stipendia explere, idem est ac 40. annis militiae interest. vid. Freinshem. in Tacit. Taubmann. ad act. 1. Scen. 2. Sueton. in August. c. 49. Sicut porro in sensu pressiori mercedem Militum denotat, ita in sensu laxiori ad quodcumque mercedis genus extenditur, atque cum salario concurrit, utut Salarium propriè sit merces operæ liberalis, Stipendium militaris; Merces sordidæ & illiberalis. Arumæus de Jur. Salar. Stipend. & merc. Et sic in dicto latiori significatu vocatur Præmium, Honorarium, Donativum. Posterioris ævi verò scriptoribus: Roga, quod Sacramento milites rogarentur, Germanico idiomate, Gold à solido, i.e. Aureo, vid. Sagittarius de Orig. Salar. & Stipend.

Lite-

Literat. n. o. a. §. 5. Cum autem studia inter & militiam, nec non milites togatos & sagatos tam arctissima sit connexio, ut saepissime fibimet invicem comparentur. *L. Advocati 14. C. de Advocat. diversi judic.* Hinc vox stipendii de aere Pauperibus & militantibus dato usitata ad redditus Studiorum prosequendorum gratia suppeditatos per mores loquendi successu temporis fuit traducta. Adeoque recte germanico exprimitur idiorate: Eine jährliche Reichung eines gewissen Geldes zum Studiren. Dn. à Seckendorff. in tr. de Regim. Stat. Princip. German p. 2. c. 14. Altera à Dn. Zaunschliffero; Beneficien zum Studieren / in Discurs de jure stipend. in rubr. Atque hic ultimus significatus hujus est loci, ac hoc quadrant omnes ferè textus Legum Romanarum, in quibus sumtuum ad studia donatorum vel legatorum fit mentio, e.g. *L. 4. ff. Ubi Pupill. educ.* *L. 6. §. 5. ff. de Carbon.* *Edit. L. 6. L. 5. ff. de alim. vel ci- bar. leg.* Stipendii tamen nomine ejusmodi sumtus studiorum nullibi in legibus insigniuntur; sed jure Canonico frequentiorem stipendii occurrere denominationem in usu ad nostrum scopum apto ex cap. 4. *X. de Præbend.* haud est obscurum.

§. IV.

Originem Stipendiorum ad Studia quod attinet, eam nou novam sed antiquissimam esse, rectissime docuit Ahasv. Fritsch. in cit. tr. c. 3. n. fin. quamvis non diffitendum, eorum usum eo magis creuisse, quo propensiores fuere hominum animi
ad

ad literas, variaque ac singularis inde dependens utilitas illas fundationes reddidit commendabiliores. Sic ex antiquitate illustre exemplum Nabuchodonosoris Regis Assyriorum apud Danielem *cap. 1. pr.* exhibent sacræ literæ, ille enim ex filiis Israëlis per principem nobilium, quem germanice den Groß-Hof-Meister vocare solemus, eligi jussit pueros & formâ decoros & sapientia eruditos, quos doceret literas linguamve Chaldæorum, ut tribus annis sumtibus regis nutriti, postea starent in conspectu Regis. Ipsi Romanis Ethnicis stipendiorum ad studia, quamvis tini saltem personæ dicatorum, usum fuisse, in præcedenti spho demonstravimus. Posteriora tempora præsertim crescentis Religionis Christianæ si conspicimus frequentiora ejusmodi fundationum stipendiorum ad studia invenimus vestigia. Sic quantæ quæso collationes in seculo IV. & temporibus Constantini M. primi christianæ fidei recuperatoris, nec non postea à Carolo M. ut & Ottonе M. in monasteria factæ & Ecclesiæ? Quamvis rarissime inveniantur exempla, ut quædam stipendia ad studia in specie, & extra monasterium prosequenda constituta fuerint, cum sufficiens ipsis fundatoribus visum erat, ipsis Monasteriis, quæ pro matribus & scaturiginibus quasi studiorum habebant, sufficienter & in genere prospectum fuisse.

§. V.

In Seculo XIV. & XV. cum studia institutis ubique Academiis magis magisque cultiora evadere cœpe-

cœperint, illustriores stipendiorum ad studia conspicuntur fundationes, eaque partim Scholaſticis, partim Academicis sacratae studiis, quarum hæ majora, illæ minora oder Schul-Stipendia appellari solent. Ad quorum augmentatas constitutiones plurimum contulit rerum & proventuum Monasterialium à Principibus Protestantibus facta occupatio. Sic tam insignia in Academiis nostræ Germaniæ stipendia in victu quotidie ad certos annos Studiosis omnium facultatum præstanda se exhibent, quæ Communitates vel Convictoria appellantur, ut Lipsiæ, Wittenbergæ, Jenæ, Altorffii, Francofurthi ad Oderam, Helmstadii, Regiomonti in Borussia, & alibi. Quo quoque ista beneficia spectant, quæ Eletores Saxoniae ex bonorum Ecclesiasticorum redditibus in seculo XV. in scholis tribus celeberrimis Portensi, Grimmensi & Misnensi in hunc finem fundarunt, ut trecenti adolescentes liberaliter ibidem alerentur, & in scientiis instruerentur.

S. VI:

Quo major autem hæc Veterum erga studia liberalitas, vid. Dn. Conrad. Horneus p. m. in reiſli-
chen Bedenken über das Schul-Wesen / p. 45. Eo
major successu temporis erga literatos adfuit tena-
citas. Illa enim oriebantur tempora, ubi de fisco
potius locupletando, quam de studiorum instaura-
tione eorumque augmentatione cogitari solebat.
Hoc tamen negandum non est, Privatos aliquâ ex
parte supplevisse id, quod ærario principum defe-
cerat.

B

cerat. Exempla novioris & novissimæ historiæ passim sunt obvia. Sic immortales Olaus Borrichius Medicus Hafniensis meretur laudes, qui anno 1690. d. 3. Octobr. in cœlibatu decedens, omnes quas amplas admodum honestè comparaverat facultates, in pauperum Studiosorum tantam erogavit utilitatem, ut semper 16. Studiosis in magnifice ab ipso extructâ domo Collegium Mediceum dicta, quam commodis cubiculis & exquisita suppellectile librariâ ac Laboratorio Chymico instruxit, alimenta cum hospitio præberentur, quin & aliis ex egestate & imbecilli valetudine oppressis ut subveniri posset, ingenti pecunia summa, quæ viginti sex mille & trecentos imperiales explet, in testamenti tabulis prospexit. Vid. *Bader Allgemeines Historisches Lexicon. voc. Borrichius.* Qualem laudabilissimam fundationem quoque egregius ille Anonymorum & Pseudonymorum Detector Placcius in incrementum Gymnasii Hamburgensis reliquerit, in vitâ Testatoris *Theatro* ejus *Anonym.* & *Pseudonym.* præmissâ jucundè recensetur. Ut taceamus infinitis ferè quæ hic Erfordiæ prostant, ut in Collegio Saxonico, Portæ Cœli & aliarum foundationum, exemplis.

§. VII.

Eadem quoque nisi major palma debetur pientissimè defuncto Domino Thiloni Zieglero, cuius Epitaphium, quod in templo Evangelico Mercatorum publicè affixum conspicitur, in universæ Ziegle-

Zieglerianæ Familiæ splendorem & pientissimi Domini defuncti agnati mei laudem Dissertationi meæ præponi curavi; hic enim tanquam innuptus nullis heredibus necessariis relictis decedens Erfordiaæ d. 18. Aug. Anno 1638. nunquam intermorituram condidit dispositionem, in qua in universæ Familiæ Zieglerianæ conservationem nec non literarum & bonarum artium augmentationem piam causam ita in heredem instituit, ut ejus substantiæ superstitis universi redditus annui duobus Studiosis, uni ex Familia Zieglerianæ Juri, alteri plebejo S.S. Theologiae incumbentibus, & quidem illi duæ tertiae, huic verò una quotannis usque ad annum vigesimum quintum ad propagationem Studiorum suppeditari debeant. Insignem cæteroquin laudatus Dn. Fundator adhibuit præcautionem, partim in determinandis Stipendiatorum qualitatibus atque profectibus, partim in ipso modo stipendum conferendi, in hunc saltem effectum, ut nobilissima ejus familia & nomen nec non literæ, bona disciplina & denique salus tam privata quam publica eo magis conservari atque immortalis redi valeat; Hinc haud exigua cum emphasi Magnificis Testamenti Dominis Executoribus injunxit, ut in conferendo stipendio omne partium studium cane pejus & angue fugiant, nec ad affectionem, favorem, dona, amicitiam, inimicitiam vel odium privatum ullum respectum habeant, sed ejusmodi Stipendiatores eligant: die das bestingenium haben/ und daß sie sich in ihren

Studiis so wohl angelassen haben/ daß sie bey ordentlicher Examination rechtmäßig entweder in primam Classem, oder aber umb so vielmehr daraus ins Gymnasium Senatorium zu promoviren / und sonst qualificiret befunden worden.

§. VIII.

Atque haec generaliter de scaturigine stipendiiorum in transitu quasi præmonuisse sufficient. Jam ad specialiora ut nos convertamus, ordinis postulat ratio, ubi considerandum occurrit: Omnem personam liberam rerum suarum administrationem habentem stipendia constituere ac fundere posse. Neque enim refert an Princeps an privatus sit, an Nobilis an plebeius, an vera an mystica persona, per quam intelligimus Universitatem quandam, aut Corpus ex distantibus personis collectum communibus legibus ad communem universitatis utilitatem utens, quod in omnibus actibus pro una eademque persona habetur. Struv. Ex. 7. th. 41. Hoc tamen necessario requiritur, ut libera rerum suarum administratio ipsi non sit admitta; quæ potestas cui competit vel non, cum apud omnes Pandectarum scriptores systematicos in specie in doctrina de Pactis ferè explicata reperiatur, nos studio impræsens huic non insistimus.

§. IX.

Neque masculus solus, sed fœmina quoque jure fundandi stipendia gaudet. Vid. Richter. vol. 2. cons. 22. Sicut enim haec omnem contractum excepta fidejussione celebrare, ita quoque donare potest

poteſt L. Velles. 6. C. de Revocat. donat. Id quod quam maximè in foemina procedit innuptâ , ita ut ne de jure communi quidem Curatore opus habeat, præſertim in negotio ad piam causam , de Lyncker. Dec. 713. vel si foemina est illuſtris. Idem Dec. 797. At maritata de bonis receptitiis quidem, non tam en de paraphernalibus & dotalibus absque conſensu maritali ſtipendia conſtituere poterit, cum hoc ipsum in inſigne mariti tenderet præjudicium, iſpumque uſufructu , quo alias gauderet, privaret; Alias favor ſtipendiorm ad ſtudia tantus eſt, ut licet Statutum aut alia Dispoſitio adſit : foemina maximè ſine mariti conſensu non poſſe contrahe-re, illam tamen poſſe ad ſumtu in ſtudia donare. Segura ad L. 3. ff. de lib. & poſth. n. 75.

§. X.

Furiosi diſpoſitiones, quas modo tam intervivos, quam ultimâ condit voluntate, ipſo jure nullas eſſe, notorii juris eſt; hinc nec teſtamentum ad pias cauſas & ſtipendia ab ipſo ſubſiſtere potheſt, de quo conſulatur pluribus Klockius Vol. 3. conſ. 113. per tot. & DD. ad l. 9. C. qui teſt. facere poſſunt. hoc tamen in favorem ſtipendiorm inde remanebit utilitatis, ut ſi bona ſua ad ſtudiorum conſervationem deſti-nauerit, præſumi eam diſpoſitionem tempore inter-miſſi furoris, dilucidorumque intervallorum factam eſte. arg. l. r. C. de Codicill. Brunnem. ad l. 9. C. qui teſt. fac. poſſ. Klock. c. l. n. 29. Strauch. Diſſert. Juſtin. 9. Aph. 8. Sed de mente captis quid dicendum? Horum diſpoſitiones ſubſiſtere docuit Sande Dec.

B 3

Friſ.

Fris. l. 2. tit. 1. def. ult. Mevius *conf. posth.* 40 n. 17.
quorum opiniones verisimilæ, pro modo tamen &
gradu morbi, præsertim in hâc causâ Studiorum fa-
vorabili.

§. XI.

Neque imbuherem jus condendi testamentum
habere, est in propatulo. §. 1. *Inst. Quib. non est per-*
miss. fac. test. adeo ut nec ad pias causas, & conse-
quenter ad stipendia studiorum ejusmodi dispositio-
vires habeat. Carpzov. p. 3. *const. 6. def. 6.* Brunnem.
ad L. 4. C. qui test. fac. poss. Imò nec principe con-
sentiente quidem subsistat. L. 6. C. de *test. milit.* Cum
princeps defectum intellectus supplere nequeat.
Nihilominus tamen si pubertati proximo princeps
testari permittat, præsertim in testamento favorem
studiorum vel aliam piam causam concernente, ejus-
modi Dispositionem utique subsistere statuimus.
Brunnem. *ad L. 8. n. 18. ff. de inoff. test.* Quia sic prin-
ceps non tam intellectum suppleret, quam potius
tantummodo obstaculum temporis, quod cum ex
jure civili descendat, facere potest, removeret.

§. XII.

Surdum quoque & mutum jure fundandi sti-
pendia gaudere statuimus, id quod de eo, qui ca-
su in hoc vitium incidit, est extra dubium, præsertim
si scribere posse, multò magis si infortunium dis-
cretum est. L. *discretis 10. C. qui test. fac. poss.* Sed in
furdo & muto à natura major dubitandi ratio ena-
scitur: cum regulariter in tali intellectus quoque
deficiat, nec vel nuncupative vel in scriptis, volun-
tatem

tatem suam declarare valeat. Sed si de intellectu appareat, certisve signis sensa mentis exprimere possit, sicut ad alias pias causas testari, ita quoque de stipendiis ipsum disponere posse concedimus, præprimis, quod tale testamentum etiam nutu fieri posse, communiter existimetur. vid. Stryck. *in tr. de jur. Sens. Diff. 4. c. 3. n. 47.* Sed quid ad *L. 10. C. qui test. fac. poss. respondendum*, ubi surdo & muto à natura denegatur facultas relinquendi libertatem, ut ut rem maximo favore gaudentem, à quâ aliás ad piam causam consequentia deduci solet? Reætissimè Dn. Brunnem. ad *dict. L. n. 7. & seqq. asserit*: jure Canonico istam juris civilis dispositionem favore pia causa esse exauctoratam. Vid. *Brunnem. c. 1.* ubi latissime nostram sententiam propugnat, atque dissentientem Dauthium refutat.

S. XIII.

Prodigus quoque jus fundandi stipendium habet; Huic enim ctsi omnis potestas de re suâ disponendi jure Justinianeo sit admota; *L. 18 ff. qui test. fac. possunt.* Si tamen probè posteritati consulerit, aut quicquam utiliter disposuerit, dispositio ejus habetur pro valida *Nov. Leon. 38. Carpzow. p. 3. conff. 6. d. 11.* Quid quæso jam utilius ipsâ fundatione stipendii ad studia disponere posset prodigus? Si enim hereditatem necessariis relinquere, pauperibus sua distribuere, aut gravem servitutis torquem cervicibus servorum adimere ipsi permisum, *per cit. Nov. Leon. 38.* pari & majori ratione fundatio stipendiiorum ipsi non erit prohibita. Et utut *No-*
vellæ

vellæ Leonis alias vim decisivam non habeant, aliud tamen de citata *Novella* 39. dicendum, quam utpote tale quid continentem, quod Jure Justinianeo deci-
sum non est, usu fori receptam esse, testantur pas-
sim DD. Frustrà dissentit Dn. de Lyncker. in Ana-
lect. ad Stryv. lib. 28. tit. 1. th. 8. qui statuit: Testa-
mentum prodigi non valere, quamvis benè consu-
luerit posteritati, vel ad pias causas testetur.

§. XIV.

Cœco, eò minus facultas constituendi Stipen-
dium ad studia est deneganda, quo certius ipsi in aliis
causis non simpliciter facultatem testandi esse ad-
emtam, sed potius adhibitis tribus singularibus, de
quibus in L. 8. C. qui test. fac poss. ibique Brunnem.
n. 1. esse permisam. Imò si per ultimam volunta-
tem fundet stipendium, has solennitates nec obser-
vare quidem tenetur, neque ut præter duos ter-
tium testem adhibeat, requiritur, quia hoc testa-
mentum à jure gentium dirigitur, quod duobus
contentum est testibus, adjectio autem testis tertii ex
jure positivo dependet. Brunnem. ad c. l. 8. n. 10. & 11.
Vid. Stryck, ad Brunnem. *Jus Ecclesiast. L. 2. cap. 12. n. 6.*

§. XV.

Filiū familias de peculio profectio stipen-
dium fundaturum non audiri extra dubium est,
idque sive pater consentiat, sive non L. 6. ff. qui
test. fac. poss. quia jure gentium de rebus alienis ne-
mini disponendi competit facultas. At de adven-
titio peculio ordinario patre consentiente tam per
ultimam voluntatem quam inter vivos de stipen-
dio

dio ipsum disponere posse afferimus, id quod de omnibus piis causis statuit *Jul. Clar.* §. *testam. qv. 5.* n. 7. *Molin. Difp. 138. n. 8.* *Gilken. & Brunnen. ad L. 3.* *C. qui test. fac. poss. n. 11.* Ut ut enim patria potestas, quibus subsunt, obstet testamenti factio[n]i filiorum, præsertim in illis bonis, in quibus patribus usus frustus competit; quia tamen in testamentis ad pias causas ea saltem, quæ juris gentium & juris Canonici sunt, attendi solent; hinc ad dispositionem hanc Juris Romani vix ullus habetur respectus. Idem multò magis de adventitio extraordinario afferimus, quamvis filiofamilias alias juxta veriorem DD. opinionem de hoc peculio testari non concessum sit. Eodem modo de peculio Castrensi vel quasi, quin si pendia fundare valeat, nullus dubitat.

§. XVI.

Res porrò ipsa ex quâ stipendia præstari debent, ex sola fundatoris dependet dispositione. Ut plurimum enim in certa pecunia quantitate vel ex pensionibus fortis, vel aliis rebus venditis redacta consistere solet, quæ ut loquitur *Dn. Zaunschliffer.* *tr. de jure stipend. aph 10.* Studiosis est gratissima & ad scopum accommodatissima. Siquidem hi morem Franciscanorum, omnia præter pecuniam accipientium, cane pejus & angue fugiunt, ac è contrario pecuniam præ reliquis omnibus amant, indem man hieraus alsbald ein aurum potabile, und aus grossen kleinen Stückgen machen kan. *Zaunschliff. c. 1.* Idem quoque ex fundatione stipendi patet Ziegleriani, ubi plentissimus *Dn. Fundator* ex universis allodia-

lium honorum redditibus stipendium duobus stipendiatis *in pecunia numerata exsolvi* constituit. Imò rem sacram quoque ad hunc usum ab ecclesiâ alienari posse, àquè ob pauperes, aliamve necessitatem, præsertim si impendatur ad studia theologica, non absque ratione inferimus per cap. 70. casu. 12. qu. 2. l. 22. pr. C. de SS. Eccles. Nov. 46. § 67. Klock. l. 1. conf. 36. n. 21. vid. quoque Richter. Vol. 1. p. 2. conf. 2. ubi mentionem facit stipendiī: von 6. Körben Salz. Quid? quod non rarò in vietu quotidiano stipendium consistit, quo Communitates, Convictoria, Frey-Tische &c. cuius generis pluribus Academiæ nostræ germanicæ abundant, spectare videntur.

6. XVII.

Sicut autem Objectum Stipendiorum est variū, ita modus quoque stipendia constituendi non idem, sed diversus est. Vel enim inter vivos, vel ultima fundantur voluntate. Priori casti se offert Pollicitatio. Quis enim dubitaret, pollicitando teneri illum, qui stipendium ad studia promisit, cum & is, qui DEO, Ecclesiæ, Universitati vel pauperibus quid polliciteretur, etiam ante acceptationem obligetur. l. 1. 2. § 3. ff. de Pollicit. Strauch. Dissert. 12. apb. 4. idque licet inops sit. l. 9. ff. cod. Multò magis obligatur, si quis tertio stipulanti foundationem stipendiī promittat; non obstante regulā juris Romani: Alteri per alterum non acquiri obligationem. Hanc enim regulam de non quærendā alteri obligatione ex consuetudine vulgari hodie non amplius observari, nec per eam ejusmodi stipulationes

35 (19) 5*

tiones amplius invalidari, docet accuratissimus
Germanicorum morum observator *Mev. p. 4. Dec. 112.*
n. 4. confer *Id. p. 2. Dec. 94. n. 5. Struv Exerc. 47. th. 7. §. 18.*

S. XIX.

Per donationem quoque inter vivos Academiae vel civitati factam, item per transactiones innitas stipendia multò saepius fundari solent; ita ut foemina pro donante stipendum intercedens, beneficio Scti Vellejani ne quidem uti valeat. *L. pen. C. ad S. Vellej. Mev. p. 3. Dec. 85.* Sed quid si donatione ad stipendum 500. excedat solidos, an insinuatione indigeat. *Carpzov. p. 2. cor. 12. def. 13.* Insinuationem requirit, quem sequitur Lauterb. *in comp. jur. tit. de donat. per l. 15. 19. C. de SS. Eccles. l. 36. §. fin.* *C. de donat.* quod dogma de jure civili est verissimum, absque ratione dissentiente Antonio Fabro in *C. l. 8. tit. 3. def. 12.* Utut enim in *l. 36. pr. §. 1. & 2.* insinuations in donationibus ad redemptionem captivorum, refectionem domus exustae vel collapsae, nec non militibus à magistris militum in rebus mobilibus factis remissae sint; neutiquam tamen hocce speciale privilegium ad alias pias causas ultra casus in legibus specialiter expressos est extensibile. *Bocer. de donat. c. 3. n. 70.* At jure Canonico, quod in praxi hoc in passu sequimur, insinuationem non exigi docent Zœf. *de donat. n. 49. Brunnenm. de jur. Eccles. l. 2. c. 15. §. 21 ibique Du. Sryck. in Notat.*

S. XIX.

Frequentissimus porro modus fundandi stipendia testamentum est, ubi quidem quoad jus civile solennitatibus omnibus opus est; hoc enim qua-

C 2

dispo-

dispositiones ad pias causas singulare nihil constituit, sed ea sub dispositione juris communis reliquit. *Jaf. in l. t. C. de SS. Eccles. Finckelth. obs. 78. n. 38.*
& 40. At per Canonicum Jus aliter provisum, ac sicut in omnibus ultimis voluntatibus ad pias causas, ita quoque ad studia omnis remissa est solennitas testamentaria, & praeter voluntatem ejusque fidem nihil requiritur. *cap. II. X. de Testam. de quo vide latius apud Pantschm. l. 2. qv. 8. per tot. adeo, ut si de manu testatoris ejusve voluntate sufficienter constet, ne testibus duobus quidem, quorum in supra citat. cap. X. de testam. fit mentio, opus sit; hi enim probationis saltu, neutiquam verò solennitatis gratia requiri communior & verior est DD. sententia Struv. *Exerc. 32. §. 23. ibique Dn. Lyncker. in Anale. Kettler. Dec. 33. Merv. part. 8. Dec. 5. licet dis-*
fentiat Lauterb. in comp. de test. milit. in fin. Carpz.
p. 3. C. 4. d. 33. 34. Sicut autem dictum jus Canonicum in iis, quæpias causas concernunt, in terris imperii quoque sequi oportere Juris Consultorum sententia communior est. Vid. Tiraquell. *de privileg. pie cau-*
ſæ 136. Wesenb. tons. 130. n. 143. Vol. 3. Ita non raro contingit, ut ad meliorem præcautionem stipendiorum fundatores exhibitis omnibus solennitatibus communibus disponant, quod factum quoque in suprà laudato ultimo elogio Dn. Thilonis Ziegler.
*p. m. qui non in præsentia solum septem testium in specie ad hunc actum requisitorum in scriptis foundationem stipendiil ordinavit, sed in superfluum quoque ipsum testamentum Amplissimo Senatui Erfor-**

¶ (21) ¶

Erfordiensis, judicialiter ut hoc confirmet & recipiat, exhibuit.

S. XX.

Sed si quis in testamento juxta privilegium iuris Canonici tenorem de stipendio ad studia testatus sit, praeter piam causam tamen alios heredes extraneos vel instituit in heredes, vel legata ipsis reliquit, an haec legata vel portiones hereditariae stipendiato accrescant? De his affirmamus, de illis negamus quæstionem, idque arg. Nov. 107. cap. 1. §^o 2. & L. 21. §. 1. C. de testam. Add. Struv. Jurispr. l. 2. tit. 16. th. fin. Strych. in not. ad Brunnum. Jus Eccles. l. 2. c. 12. §. 2. in fin. Hoc insimul notandum, pro certâ heredis institutione habendam illam esse, si quis instituat: Die studirende Jugend. Richter. Dec. 148. quem adprobat Dn. de Lyncker. in Analect ad Struv. tit. ff. de hered. instit. th. 3.

S. XXI.

Cum autem ipsam stipendiiorum foundationem eorundem excipiat actualis collatio, ut de hâc quoque aliquid addam, ordinis postulat ratio. Ubi quoad Collatores ipsos duo potissimum casus considerandi veniunt. Aut enim in fundatore collaborator certus denominatus est, aut non; Priori casu juxta tenorem foundationis, qui ad amissum sequendus est, is, qui à fundatore est expressus, stipendum conferet, qui propterea si in testamento factum sit, Executor testamentarius audit. Sic in saepius laudata foundatione Ziegleriani Stipendii Rector Universitatis Magnificus Academiae nostrae Er-

fordiensis , si quis Religioni Evangelicæ addictus adsit , sin minus , Professores & Doctores Facultatis Juridicæ Evangelici , Executores testamentarii à Domino Fundatore repetitis vicibus sunt constituti . vid . § . 36 fundationis ibi : Damit auch be-meldter Rector oder Professores , die ich auch alle Dero Nachfolgere zu Executoren in diesen allen hiermit bis zu ewigen Zeiten verordne und constituire &c . Si autem Evangelici Rector vel Amplissimæ Facultatis Juridicæ Doctores non reperiantur , vel Evangelico Augustana Religio præter omnem spem Erfordiensis in civitate penitus extincta esset , ad Universitatem Jenensem iisdem tamen modis , quibus stipendum Erfordiæ antea distributum erat , fundatio Ziegleriana transvolvi deberet . Alias qui-dem in solo fundantis arbitrio possum , quem fundationis suæ Executorem denominare velit , modo idoneum constituat . Magistratus enim cui omnium piarum causarum suprema competit inspectio , sine dubio à judice hoc in passu recedere , aliumve Executorem capaciorem eligere poterit , sicuti Magistratus judicium patris , filio in idoneum tutorem in testamento constituentis , in utilitatem publicam & pupilli non injustè interdum negligit , arg . 155 . ff . de leg . I . vid . l . 26 . pr . ff . de test . tut .

§ . XXII .

Quæritur autem an ejusmodi Executori potes-tas competit alium collatorem eligendi ? quod re-gulariter negamus : Sicuti enim tutor testamen-tarius alium tutorem constituere non potest , sed finitâ

finitâ ejus tutela hæc ad legitimum , hocque defi-
ciente jus constituendi ad magistratum devolvitur.
Ita nec in arbitrio executoris denominati erit; alium
substituendi ; A tuteore enim testamentario ad Exe-
cutorem, validum duci argumentum, docet Klock.

Vol. 3. Conf. 123. n. 22. Non obstante : Executorem
testamenti quasi Procuratorem & Commissarium
defuncti haberi, secundum tradita Reusneri *de testam.*

cap. 2 n. 48. Procuratorem autem in negotiis extra
judicialibus substituere posse *l. 8. §. 3. ff. Mandat.*
Quis enim non videt , comparisonem procurato-
ris & Executoris testamentarii non absolutam , sed
saltem respectivam esse , ac consequenter ab illo ad
hunc universaliter concludere non licere , præser-
tim cum alia sit ratio ad certum actum alium sub-
stituendi , alia verò novum Collatorem eligendi ,
ipsoque omnem potestatem , quam antecessor habet ,
in perpetuum concedendi . Expressâ ergo funda-
toris concessione opus est ad hoc , ut Executor alium
eligere possit , ubi tamen non quemvis pro absoluto
ejus arbitrio , sed conscientiosum saltem ac ido-
neum denominare potest , id quod non raro in fun-
dationibus , sive ultimâ voluntate , vel per dispositio-
nem inter vivos fiant , exprimi solet ; ut in stipen-
dio quôdam ad studia à Joachimo Mehrkaz / Wit-
stockii *d.30. Jul. Ao. 1683.* fundato , ubi uno ex Execu-
toribus mortuo , alteri fundator concescit Jus no-
vum eligendi & in demortui locum substituendi , in
verbis : Würde auch von denen beyden Curatoren
(Executoren) einer nach GÖttes Willen mit Tode
abge-

gehen / soll der Nachbleibende alßofort bey guter Vernunft einen andern an seiner Stelle hierzu er bitten und erwehlen / daß dieses immerfort bey den Curatorn bleibe / bisz der maleins meine Söhne zu ihren männlichen Alter kommen / da sie doch solch Geld nicht zu ihren Gebrauch nehmen / sondern was ich einmal legiret / bestätigen und darüber halten helffen / und ebenermaßen solche gute Freunde / als Curatores erwehlen und bitten ; daß es immer so fort bleibe / und nicht zu frembder Gewalt komme / sondern immer als Joachim Mehrkazen Vermachung bleibe ic.

§. XXIII.

Ex quô tamen Executores suprà testamentariis tutoribus comparavimus ex *Klockio Vol. 3. cons. 123. n. 22.* neutiquam inferendum est : Executores invitatos ad hoc officium suscipiendum cogi posse , nam hoc in mero ipsorum consistere arbitrio patet ex *l. 12. §. 4. ff. de relig. & sumt. sua.* Munoz de Escobar de ration. distrahend. *cap. 27. n. 48.* Rationem addit *Carpzov. p. 3. C. 13. d. 37. n. 3.* quod scil. nemo cogatur invitatus procurare, ergò nec alterius voluntatem exequi, cum Executor quasi Procurator defundi habeatur. Reusner. de testam *p. 1. c. 2. n. 48.* Et quamvis tutor ad officium suscipiendum invitatus compellatur , *l. 1. in pr. ff. de administr. tut.* ejusmodi Executor vero tutori testamentario similis sit. *Klock. tom. 3. cons 123. n. 22.* præsertim si in dispositione circa stipendium ad studia constitutus fuerit, quæ & favorena pupillarem & publicum præ se habere

bere videtur, quia tamen Executorum officium nullâ lege publicâ sed à privato imponitur, deinde et si in testamento nominatus executoris officium in se suscipere nolit, propterea tamen Testatoris voluntas exitu eo minus destituetur, quo magis hoc casu magistratui incumbit, ut vel ipse testamentum exequatur, vel alium Executorem constituat. Carpz. c. 1. n. 6. & seqq. hinc non recte quoad hunc passum ab officio tutoris ad munus Executoris dicitur conclusio. Hoc tamen negandum non est, executorem cui propter hoc officium legatum in dispositione relictum est, in tantum ad illud suscipiendum cogi posse, ut illud vel acceptare vel legatum perdere debeat, arg. l. 12. §. 4 ff. de relig. & sumt. funer. immo si summa necessitas adsit, eum omnimodo cogi posse. afferimus arg. l. 2. §. 3. ff. de Curat. bon. dand.

§. XXIV.

Si porrò bonis Collatoris Curator datus sit, eum ad vacans beneficium præsentare posse neutram ambigendum est. Brunnem ad L. 2. ff. de Curat. bon. dand. n. 14 De hoc tamen dubitari posset, ad quem si jus præsentandi certæ familiæ datum, illa verò penitus extinta sit, jus conferendi stipendum transvolvatur? Et ad Academiam, si quæ in loco foundationis sit, hoc jus pertinebit, sicuti per tradita Richteri V. 1. p. 1. Conf. 28 n. 1. 28 jus præsentandi ad præbendam tali casu capitulo acquiritur; nullâ verò Academiâ præsente magistratui ordinario collatio competit.

D

§. XXV

In casu vero quo, in fundatione ipsâ nullus Executor vel Collator Stipendii denominatus est, sine dubio ad principem Territorii vel illum, cui hic inspectionem piarum causarum demandavit, pertinebit Collatio, cum non solum stipendiorum principalium à Majoribus suis constitutorum, sed & aliorum præsertim Collatorem non habentium cura, tanquam jure Episcopali imposita, ipsi competat. Carpz Jurispr. Consist. l. 2. d. 332. Mindan. de Mandat. l. 3. cap. 18. n. II.

§. XXVI.

Cœterum an Executor Stipendii ad rationes reddendas de administratione proventuum stipendiialium teneatur, dubia quæstionis est. Ante omnia respiciendum est, utrum Executores ipsi pecuniam cœterosque stipendii proventus acceperint, & expenderint, nec ne? Priori casu affirmanda est quæstio, cum regula sit æternæ veritatis: Omnes rerum alienarum administratores ad rationes reddendas teneri, Mev. p. 2. Dec. 219. n. 2. l. 2. t. 6. §. 6. ff. de N. G. l. 46. l. 36. ff. de Procurat. Hasque rationes principem vel illos, quibus suprema piarum causarum inspectio demandata est, vel alios quorum interest, exigere posse, nulli dubitamus. arg. eorum, quæ tradit Mev. ad Jus Lub. 2. tit. 3. rubr. n. 23. & seqq. vid. Klock. de Contribut. c. 5. n. 103. circa fin. Id quod de reliquis etiam Testamenti Executoribus, quod scil. rationes reddere teneantur, affirmat Tabor in Relat. Argentorat. 96. incis. die Geschicht. n. 31. Schilter.

ter ad Instit. lib. 2. tit. 25. aph. ult. quamvis hic difficultas sit. Klock. conf. 36. n. 30. & seqq. vid. Oldendorp. de Execut. ult. Volunt. & Jacob. a Canibus de eodem argumento. Et si secus diceremus, quantane quæso ansa daretur fraudibus & abusibus rerum ad pios usus dedicatarum?

§. XXVII.

Hoc insuper addendum, Executorem pro fæsta stipendiī collatione, quæ fit literis præsentatiis, Conf. Marp. Vol. I. conf. 10. n. 45. nihil à Stipendiato jure actionis postulare posse, cum nihil aliud, quam quod offici ratio, quod eodem modo ut tutoris gratitum est, & ex solā amicitia & pietate proficiuntur, adeoque etiam absque ulla spe præmii exercendum, arg. l. I. §. 4. ff. Mandat. Munoz de Escobar. de administr. c. 27. n. 45. postulavit, præstiterit; nisi ipsi in fundatione vel à superiore ex certâ causâ, puta; si negotia propria relinquere, vel aliquo excurrere vel proficiisci necessum habeat, quid statutum sit. Idem cap. 27. n. 47. Cœteroquin, si stolidius ad grati animi declarationem quid sponte offerat collatori, citra turpititudinem quin accipere possit, nulli dubitamus, modò in collatione ipsâ non ad dona accepta vel promissa, sed ad ipsum fundationis tenorem & subjectum dignum respectum habeat.

§. XXVIII.

Contemplatis jam personis conferentibus, ad stipendium acquirentes nos convertimus, ubi partim in genere, partim in specie quasdam deprehendimus

D 2

dimus prohibitas & impeditas. Generale impedimentum in acquirendo stipendio ad studia obstat sc̄emini; idque propter conjecturatam mentem stipendium ad studia constituentis, quam omnibus modis observandam esse ex L. 5. quemadmodum test. apertant. abunde constat. Nata conf. 217. n. 5. Vol. 1. Ut ut enim in sc̄emini extraordinaria interdum reperiatur ingenii excellentia ac prudentia, de quibus ex professo legi meretur Paschii tract. historico-literalis de *Gynecœo docto*, vom gelehrten Frauengimmer. ad hos tamen casus exorbitantes testatorum respexisse neutquam præsumitur. arg. L. 3. ff. de legib. Vid. Limnæus de Jur. Publ. L. 2. C. 2. t. § 8. & seqq. Wendel in Polit. l. 2. cap. 3. ib. 6.

S. XXIX.

Furiosum quoque ac mente captum ad acquisitionem stipendi ad studia incapacem esse, ex eadem fundatoris voluntate præsumta colligendum est. Id quod rāmen ad eos, qui obtusioris ingenii sunt, die etwas tumidum / blode / oder cunctiū sind / non extendendum est. In his enim, sicut in nuptiis ineundis, Sande L. 2. t. 1. d. fin. in Paetorum & Contractuum materia. Manz. dec. Palat. 46. item in testamenti factione. Klock Vol. 3 conf. 113. Sande d. t. Mev conf posth. 40. n. 17. cum furiosi comparatio cessat, ita ejusmodi stupidioris mentis adolescens pro incapaci ad studiorum stipendium eo minus habendus est, quo experientia teste non raro contingit, ut ejusmodi homo concurrente diligentia, fideliisque præceptorum instructione ac indefessâ exercita-

ercitatione ex somno quasi resciscitur, ingenium
ve latens mirifice extractum fuerit; præsertim cum
durabilioris utplurimum sint naturæ, & juxta Plu-
tarchum de Educat. cap. 4. post diligentem cultu-
ram sat ubiores ferre soleant fructus. Huic au-
tem quod de incapacitate furiosorum asseruimus,
neutquam obstat, neminem propter naturæ vi-
tium jure suo privandum esse; ex quo etiam nec
furiosum dominio suo excidere rectè docuerunt
H. Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 22 th. 10. n. I. & c. 3. th. 6.
Victor. de Bello l. 2. n. 5 6. 7. Facilis enim est re-
sponsio, si *jus quæsumum à jure querendo separamus.*
Illud nemini propter vitium naturæ adimi posse,
& nos concedimus, sed à jure querendo aliquem
facilius repellи posse statuimus, si sc. tempore sti-
pendium acquirendi furiosus fuerit; neque enim
furor superveniens nocere potest. Vid. Grot. l. 2.
cap. 2 th. 13. n. 4. Et quamvis alias animi vitia, in-
ter quæ furor quoque computatur, non attendi so-
leant, ex quo etiam in venditione servi propter
animi vitium redhibitorię actionis locus non est.
L. ob quæ vitia. ff. de aedil. edit. quia tamen propter
hoc animi vitium stipendium ad studia, ad quæ uni-
cè destinatum est, redditur penitus inutile, atque
sic expressè ingenii opera requiritur; hinc aliter
hic decidendum esse, sua sponte consequitur. Idem
de surdo muto simul natura tali dicendum est, li-
cet vel maximè miranda excellentis ingenii signa
interdum in ejusmodi subjectis conspiciamus, quo
de vid. Brunnem. ad L. 10. C. qui testam. fac poss.

Prodigus tamen ad stipendium ad studia consequendum non est incapax, modo Curatores legitimam inspectionem, quod ad contrarios usus non impendatur, adhibeant.

§. XXX.

Hæreticis, Bannitis, Excommunicatis, Apostatis, Judæis & reliquis omnibus, qui jure Civili testamenti factione passiva destituantur, ad stipendium ad studia capeſſendum inidoneos esse, quilibet nobis largietur. Non ignoramus euidem, Judæo per modum legati aliquid à christiano relinqui posse communiter existimari. Carpz. p. 3. C. 13. d. 36. Brunnem. ad L. 1. C. de Judæis. Sed rationibus ac textu hæc opinio deſtituitur. Nam ſicut in c. l. i. C. de Judæis, Collegio Judæorum expreſſe facultas percipiendi legatum denegatur; Ita à contrario ſensu vix inde eft concludendum: Ergo Judæo quid legari licet; cum eadem ferè ratio prohibitionis in Judæis, quam ipsorum Collegio adſit. Tranſeat jam, quod juxta Carpzovium c. l. Judæi nusquam ſpecialiter a legibus a jure percipiendi legata repellantur; ſufficit tamen illos ſub generali prohibitione Hæreticorum ſeu omnium qui fidem christianam averſantur, in Nov. 117. cap. 2. contingi. Neque ſola Judæorum tolerantia in Imperio Romano Germanico hoc jus Judæis tribuere potest, eo quod alias ex hoc ipſo principio & Collegio Judæorum quod pari modo ex pia ratione, an fortaſſis converti poſſent, tolerantur. Cap. Etſi Judæos

13. in

13. in pr. X. de Jud. Carpz. c. l. n. 13. & 14. idem foret indulgendum. Imo quod ad stipendia ad studia sint incapaces, hæc militat specifica ratio: quod hoc modo ansa daretur contumaciam Judæi confirmandi & christianæ religioni nocendi, quæ resturissimæ esset consequentiæ.

§. XXXI.

Ad specialiter impeditos verò pertinet in stipendio FAMILIÆ relicto, is, qui de *familia* denominata non derivat natales. Vocem autem *familiae* latè accipiendam esse putamus in hâc materiâ favorabili, ita, ut nisi appareat, fundatorem stipendi ad nomen floremque familiae saltem respexisse, nati ex foemina quoque admittendi sint. arg. l. 5. C. de V. S. ibique DD. præsertim si voce *Freundschaft* usus est. Carzov. Jurispr. Consist. l. 2. def. 333. Spurii tamen aliive illegitimi non admittuntur, bene tamen emancipatus filius. Wissenbach. ad ff. p. 2. disp. 2. th. 12. Neque arrogatus arg. l. si ita §. 1. ff. de leg. 2. l. 76. ff. de Condit. & Demonstr. Non obstante: Arrogationem jura agnationis seu familiæ tribuere. L. 23. ff. de Adopt. Effectus enim hic toties cessat; quoties vel liberos naturaliter susceptos intelligendos esse ipsa materia substrata suadet. Mantic. de conject. ult. volunt. tit. 8. n. 3. Rennemann. de jure Person. Disp. 44. th. 19. Exheredatum tamen ad stipendum admittendum esse, argumento eorum defendimus, quæ tradit Zaunschliffer. in Disput. de commodis vel incommodis filii, patris heres non christen-
tis. Aph. 2. & 8.

§. XXXII.

Ex quibus patet, in stipendio familiæ stipendiandum præcisè ex denominata familiâ oriundum esse debere, sed si fundator in genere vocasset agnatum, plures tamen adsint competitores de familia, cui collatio sit facienda dubitari possit? Si omnes istis qualitatibus in fundatione expressis æqualiter pollent, proximior remotiorem excludit, partim quod iste fundatori semper censeatur esse dilectior. *I. f. C. de Verb. Sign.* Richter. *V 1. p. 4. conf. 2.* Lauterb. de magis dilecto. *C. f. §. 5.* partim, quod in casu, quo liberi vel agnati in genere ad stipendum vocantur, eo ordine, quo ab intestato succederent, vocati censemur. Carpz. *P. 3 C. 8. def. 26. n. 2.* Notanter autem addidi: Si omnes istis qualitatibus in fundatione expressis æqualiter pollent: Si enim disparis conditionis sint, unusque majoribus fundationique convenientioribus studiorum profectibus præ altero condecoratus sit, ad proximitatem gradus, nisi hanc fundator in specie maluerit, nunquam respiciendum est; cum aptior ad studia magis fini constituentis ac minus aptius satisfacere potest. Confer. Carpz. Conf. *1. 2. d. 49.* In quibus profectibus autem, an unus alterum excellat per examen inter ipsos instituendum dijudicandum est. Sicut mihi met ipsi, cum de prælaudato Stipendio Familiæ Ziegleriano à quodam ex agnatis meis lis moveretur, in terminis responderunt Jenenses. Mens. Jun. 1711. in verbis: *Sondern es schinet / so viel die vierde Frage anlangt / der Fundator selbst/ wenn*

wenn er die Fähigkeit eines jedesmaligen Stipendiaten auf ohnpartheyische Discretion und Gutbefinden derer verordneten Executoren ausgestellt / dahn anzuswiesen : daß bry vorsallenden Zweifel durch angestellte Prüfung von densen Executoren auszufinden / welcher unter beyden Competenten mit dem besten Ingenio begabt und dergestalt beschaffen sey : daß man sich zu demselben der Erreichung des in der Stiftung ausgedruckten Zwecks anmeisten zu verschen habe. V. R. W. Imò præsumptione juris non raro quis meliori ingenio condecoratus esse censetur altero, proptereaque ipsi stipendum conferendum. Sic Academicum alumno Scholæ inferioris præferendum esse , responsum apud Richterum. V. i. p. I. conf. 50.

§. XXXIII.

Multò minus quoque ad proximitatem in gradu respiciendum, si de constituentis voluntate aliunde constat. v.g. Si agnatos anteà generaliter nominavit, collatoribus tamen stipendiatorum capacitem & ingenium specialiter & primariò commendavit. Si enim voluntas testatoris manifesta est, ne quidem consanguinitas multò minus gradus proximitas spectatur. L. 39. 70. pr. de acquir. hered. Hinc cum Dn. Thilo Ziegler in sua fundatione ita disponuerit: Es sollen die davon unterhaltene Studiosi mein Thilo Zieglers Stipendiaten heissen / und selber zweyen seyn / nemlich einer von den alten Erfurtschen Geschlecht derer Ziegler/ oder von der Sachsen/ oder Reimbotten/ oder der von der Margariten/

E

ten/

ten/ oder von der Marthen/ und fürnemlich wo es
immer möglich ein Ziegler meines Geschlechts für
allen andern ic. Die sollen alle zweene/ so das
beste Ingenium und zum Studiren am tüchtigsten ic.
Vom Rectore und Professoren ic. dergestalt zu ieder
Zeit ohnpartheyischer Discretion erkohren werden ic.
eleganter responderunt Domini Francofurtenses ad
Oderam Mensl. Jun. 1710. daß in Collatione dieses
Zieglerischen Stipendii mehr auf den Vorzug des
Ingenii und der Wissenschaft/ als auf die nähere
Verwandtschafft zu sehen. Sicut Jenenses quoque,
cum de Stipendii hujus präferentia inter Stipen-
diatos Ao. 1701. contendebat Mense Aprilis, quod
Responsum quoque extat apud Lynckeri Resp. 66.
responderunt. Eandem quoque dederunt respon-
sionem Helmstadienses Mense Maj. eodem anno
1701.

§. XXXIV.

In investiganda hæc proximitate an ad com-
putationem Canonicam, an ad civilem respicien-
dum sit, dubium est. Ad Canonicam Helmsta-
dienses in supra allegato Responso inclinarunt. Fran-
cofurtenses verò & Jenenses in iisdem Responsis ad
civilem computationem respiciendum esse docue-
runt; Pro Canonica hæc militat ratio: quod sti-
pendiorum ad studia materia sive dubio ad pias car-
itas spectet; In piis causis autem & Ecclesiasticis
Jus Canonicum esse receptum docet Reinking. *de Regim. Secul. & Eccles. l. 2. Clasf. 2. c. 7.* idque non in
terris Catholicorum solum, sed quoque Protestant-
ium

tium. Carzov. Jurispr. Confist. l. 2. def. 152. n. 3. Sed pro Civili computatione fortius prostat argumentum; scil. in terris quâ Pontificiis, quâ Protestantium computationem Canonicam sâtem, in causis nuptialibus & incelitus, in reliquis omnibus verò Civilem observari. Carpzov. Arb. Consangv. Disp. 1. C. 1. n. 68. 89. & Jurispr. Confist. L. 2. def. 75. n. 14. Cui posteriori sententiae nostrum quoque adjicimus calculum, non obstante ratione Helmstadiensium: Infirma enim est Consequentia: Jus Canonicum in causis piis & materia stipendiorum est receptum; Ergò computatio Canonica quoque recepta est.

§. XXXV.

Si omnes Competitores æqualis gradus sunt, atque capacitatis, stipendii collatio, soli Executorum arbitrio subjicitur, ita tamen, ut ad circumstantias utrinque obvenientes respectum habeant. Sic ditiori pauperior. Brunnem. in Jur. Ecclesi. L. 2. C. 12. §. 14 alteri, qui jam unum habet stipendum, ille qui nullum habet, juxta Cothmanni Vol. 5. Resp. 1. n. 384. ignobili nobilis, filio civis, filius Senatoris. Carpz. Jurispr. Confist. l. 2. def. 369. ascititii vel novitii civis filio, originarii & veteris civis filius præferendus est. l. 2. C. de Offic. Praetor. ibique Brunnem. n. 5. 6. 7. Imò sortitioni locum esse, argumuento eorum probamus, quæ de subselliis templorum. de quibus cognata cum cognata contendebat, tradit. Carpzov. P. 3. Const. 28. def. 30. n. f.

§. XXXVI.

Dividere quoque hoc in casu Executores sti-

E 2

pen-

pendium poterunt, si res stipendiaria divisionem recipiat, utut enim ejusmodi modus tollendæ litis inter litigantes in jure regulariter improbetur. *I.12 §.14. ff. de Instrukt. vel Instrum.* Si tamen forte rationes æquitatis ac juris æquæ prægnantes utrinque militant, & nulla adest circumstantia qualitatis personarum, rerum, vel possessionis, quæ vel reo vel actori faveat, merito inter eos, qui pari planè jure gaudent, res controversa dividitur. Struv. *Exerc. th. 53.*

§. XXXVII.

In casu, ubi in integrâ Fundatoris familiâ nullus capax adest, quid faciendum sit, dubitant Doctores. Carpzovius *P. 2. C. 5. def. 8.* statuit: redditus ejusmodi stipendiarios ad honestum lucrum & usuras licitas potius collocari, indeque stipendum augeri debere, quam ad aliam piam causam interea concedi. At Dn. Zaunschliffer de stipend. ad studia *Aph. XI.* contra Carpzovium defendit Contrarium. Rationes Carpzovii sunt. 1) quod ne favore piæ causæ quidem liceat à Voluntate disponentis deflectere, sed favorabilibus causis ita favor exhiberi debeat, si aliis inde non fiat injuria. Angel. *Conf. 328. n. 5.* 2) quod ad arbitrium alicujus planè non pertineat, mutare testatoris voluntatem, adeo ut relicta ad certum usum ne ad meliorem quidem ab Executoribus mutari possint usum. Natta *Conf. 7.* & quamvis 3) alias ex doctrina Manticæ de Conjectur. ult. volunt. *tit. 19. n. 10. L. 3.* ob favorem piæ causæ facilius fieri possit extensio dispositionis de causa

causa ad causam, maximè cum verisimile sit, testatorem stipendium certæ familie studiorum causâ relictum, in aliud similem finem potius collocari, quam extingui maluisse; Tamen 4) de mente disponentis non esse controvertendum, nec voluntatis extensionem admittendam, quando dispositio ipsa effectum specificum sortiri posset, juxta eundem Manticam d. libr. 3. & t. 13. n. 14. quod in praesenti causa fieret, si deficientibus in familia Studiosis pecunia ad honestum lucrum & usuras licitas collocetur, indeque stipendium augeatur ac crescat, quo tempore futuro Studiosus in familia existens ampliori ac pinguiori Testatoris fruatur beneficio. At Zaunschlicherus in hoc affirmativam suam fundat 1) quod JCti Testatoris voluntatem ex unâ, & publicam utilitatem ex alterâ parte respicere debeant: jam vero publice interesse, ut v.g. doles constituantur foeminis, succurratur egenis, alimentaque praebeantur liberis, edacenturque furiosi. 2) quod testator verisimiliter sic disposuisset, si de eo interrogatus fuisset, ut Studiosis non extantibus reliquorum ex familiâ inopia aliquantis per succurratur. Jam vero secundum eandem definitionem Carpzovii n. 2. illud inspici debet, quod testator verisimiliter disposuisset, si de eo interrogatus fuisset. Nos, si vel planè non, vel difficulter sperari possit habilis Stipendiatus in familiâ, Zaunschlicheri, fin vero minus, Carpzovii partes amplectimur. Hoc tamen certum: Stipendium annum Studiosis ex certo loco vel familiâ relictum & ab admini-

stratoribus per aliquot annos nemini collatum , si
deinde ab aliquo per Processum impetretur , hunc
non posse pensiones annorum præteriorum exi-
gere , sed illas redditis ab administratoribus ratio-
nibus in novam sortem exigi , quemadmodum ad
interrogationem Joh. Laurenz. Seizii M. April. 1703.
Dn. Wittebergenses eleganter responderunt , addi-
tis rationibus dubitandi & decidendi , quæ , cum
verbotenus hic apponere nobis sint prolixiores ,
Benevol. Lectorem ad Dn. Bergerum in suis Respons.
p. 2. Resp. 174. p. m. 316. remittimus.

§. XXXVIII.

Antequam ad effectum stipendiorum nos con-
vertimus , hoc unicum addendum putavimus , quod
stipendii civis , v.g. Erfordiensis filii , Erfurtischen
Bürger-Kindern relicti is non sit capax , cuius pa-
ter jus Civitatis adhuc Erfordia non habet , licet
ex Erfordia oriundus sit ; quamprimum enim ho-
die (jure enim Romano secus. Klock. Vol. 4. Conf. 61.)
in aliquo loco natus , domicilium alibi constituit ,
toties non amplius pro Cive habetur , sed cum ju-
re civitatis omnia reliqua ipsi cohærentia perdit .
Aliud tamen in istis obtinet , qui per privilegium
juribus civium gaudent , ut ut vel maximè cives
propriè non sint , nec jus civitatis solito more
impetraverint . Hi enim quoad beneficia neuti-
quam verò quoad onera civium numero veniunt ,
atque propterea cives privilegiarii appellantur , nec
non sub generali civium nomine comprehenduntur .

Mev.

§§ (39) 58

Mev. p. 5. dec. 268. Idem de his, qui in suburbis vivunt, statuendum existimamus cum Eodem, p. 3.
Dec. 165.

§. XXXIX.

Jam effectum ipsum stipendiorum accedimus, qui vel ratione stipendiatorum vel ratione ipsius stipendiī constituti varius est: Ratione stipendiatorum effectus est, ut officia sua & servitia ante omnia addicant loco vel familiæ, unde stipendium habuit; pro quo hoc commodi habet, ut ejusmodi Stipendiatus præsertim publicus ante omnes fit promovendus. Carpz. L. 2. def. 404. *Jurispr. Conf. Conferatur ex professio de Obligat. Studiosi stipendiarii ad specimen eruditionis erendum*, Schulzius in speciali & integrâ Dissertatione, *Gedani Anno 1680*, habitâ. Ratione ipsius stipendiī constituti effectus consistit potissimum in remediis juris occasione stipendiī competentibus: Eaque vel in petitorio vel in possessorio.

§. XL.

In hoc possessorio sc. v. g. remedium *L. f. C. de Edic. D. Adiani tollend.* in casu, quo in dispositione stipendiiorum nullum est vitium visibile, nullusque legitimus contradictor. Interdictum retinenda possessionis: Ut possidetis: In casu, quo possessor stipendiī turbatus est in quasi ejus possessione. Hinc stipendium annuum Studiosis ex certâ civitate oriundis legatum, & per aliquod tempus exsolutum, si deinceps intermittatur solutio, recte ab uno ilorum Studiosorum petitur in processu possessorio ordinata.

dinario, ita ut Exceptiones: Erroris, aliæque, quæ in altiori consistunt indagine in petitorum rejiciantur, veluti additis Rationibus decidendi responsum tradit Dn. Berger. in *Respons. p. 2. Resp. 142. p.m. 24.* in causa Johann Laurenzii Seizens contra die Kirchen-Vorstehere zu Mühlberg. *M. Junii 1702.* ad Interrogationem Illustris nostri Regiminis Moguntinensis, quod Erfordiæ est, hisce formalibus: *Dass Beklagter des von ihm beschehenen Vorwendens ungeachtet / die libellirten 18. fl. von der Weilsbergischen und Reineckischen Stiftung Klägern zum Behuff seiner Studien jährl. von der Zeit/ da er um selbige gebührend angehalten / und so lange sie hieb vor andern entrichtet worden/ zu reichen schuldig; Es ist aber nichts destoweniger ihnen ihre dizzals vorgeschrifzte Exceptiones in petitorio absonderlich auszuführen unbenommen.* *V.R.W.*
Imo ex Canone: Retintegranda §. quoque agi posse in casu amissæ possessionis, est extra dubium.

§. XLI.

In petitorio actio realis Confessoria utilis, quæ ad vindicanda omnia jura, alle Gerechtigkeiten / locum invenit, juxta Struv. *Exerc. 13. th. 53.* se exhibit. Imo si stipendum ex certo prædio vel fundo debetur actionem hypothecariam locum habere assentit Ahasv. Fritsch. *tr. de jure Stipend. C. 12. n. 31.* cum fundus, unde stipendum est legatum, tacito afficiatur pignore. Moller. *s. Semestr. cap. 2. § 79.* Si vero quis ex familia fundatoris esse negetur, actione præjudiciali, in quâ jus familiæ ante omnia est discussio-

tiendum. Mev. P. i. Dec. 69. 70. § 186. experium-
dum est. Sicut autem dictæ actiones ex jure
jam constituto oriuntur, ita ad jus promissum
actiones personales competunt, eaque vel ex
Contractu innito, vel actione ex testamento,
vel conditione ex moribus, vel capitulo, si nu-
do pacto promissio stipendii facta sit. Cum autem
stipendii causa sit summaria hinc processu summa-
rio tractanda, nec solenni libello, Litis Contestatio-
ne, Probatione vel Reprobatione opus, sed aliqua-
lis facti narratio, responsio & demonstratio sine du-
bio sufficit.

S. XLII.

Modi denique stipendium legitimè acquisitum
amittendi non omittendi sunt. Inter quos *benefi-
cii abusus* primum sibi locum vindicat; propter
hunc enim cuiuslibet beneficii usus tollitur. No-
mine abusus stipendii autem hic nobis omne id
venit, quo finis stipendii impeditur, puta si luxu
& luxuriâ stipendium disperdat, vel alias vitam tur-
pem & scandalosam exerceat, quo spectat, si alu-
mnus frequentior in Collegio Veneris, quam Pro-
fessoris deprehensus fuerit, oder wohl gar ein und
ander Weiber. Stipendium genteficit. Item hue ve-
nit: si illicitis artibus & scientiis inhæreat, v. g. Ma-
gjæ. Deserio deinde studiorum CAUSA amittendi sti-
pendium est. Privilegia enim denegantur omni-
bus, qui munus, quod profitentur, non adimplent.
L. sub praetextu 9. C. de S. S. Eccles. hinc rectè legatum
studiorum causa relictum tanquam conditionale ex-

F

pira-

pirare & hereditati accedere , quando Legatarius
 studiis decedit , decisum penes Carpzov . p . 3 . C . 13 .
 def . 26 . *Publica 3) Relegatio* huc spectat , si ob de-
 lictum ab Academia relegatus , & confessus & con-
 victus fuerit , idque sive ad tempus sive ad perpe-
 tuum , multo magis si fustigatus sit , wenn er ein
 Stipendium auf den Rücken bekommen . *Morte*
naturali quoque 4) expirat stipendium . Cessante
 enim causa , némpe studio , cessabit etiam ipsum jus
 Carpz . p . 2 . C . 5 . def . 9 . n . 6 . ita tamen , ut si stipendia-
 riis ab initio anni moriatur , heredes ejus nihil
 minus totius anni stipendium exigere possint .
 arg . I . 5 . ff . de ann . legat . § fideicom . I . 8 . § 22 ff . cod .
Interitu 5) *rei totali* , unde stipendium solvitur , il-
 lud perit , ubi tamen videndum : an , si certa summa
 ex fundo quis ad studia constituerit , ob causam
 autem aliquam uno vel altero anno non possit per-
 cipi , fundus demonstrationis vel restrictionis gra-
 tia sit adjectus ? priori casu integra summa ab he-
 redibus fundatoris ex alia re præstanta ; secus po-
 steriori . Klock . Vol . 4 . conf . 74 . § . 14 . Item si fiat ha-
 reticus , v . g . Judæus vel Anabaptista . Klock . V . 4 .
Conf . 40 . Denique si stipendium per donationem
 inter vivos constitutum sit , ex omnibus istis causis
 potest revocari , ex quibus ipsa donatio , de quo vi-
 deantur DD . *ad tit . Inst . de donat.* ad quem beneyo-
 lum Lectorem remittimus , atque Dissertatio-
 ni exoptatum finem imponimus .

S. D. G.

35 (43) 52

COROLLARIA.

I.

AD Stipendium Nobilibus relictum Doctor vel
Licentiatus quoque est idoneus.

II.

Lutheranus amplexâ Religione Catholicâ, &
contra, Stipendii non redditur incapax.

III.

Studioſus secundum *dici*, non vero secundum
eſſe, ſicut privilegiis Studiorum, ita quoque Sti-
pendio excidit, imo ad refuſionem male Consumi-
torum condemnandus.

IV.

Si quis habet Stipendium Studio Theologico
conſtitutum, poſtea vero deſerto illo ex iuſta cau-
ſā ad Jurisprudentiam vel Medicinam ſe confeſrat,
iſi, niſi in fundatione aliud expreſſum, ſtipendio non
ſtatim eſt privandus.

V.

Jus ſtipendium capiendi v.g. ex Jure Sangui-
nis alteri non potheſt cedi.

VI.

Res pecuniā ſtipendiaria ab alio emta, fit ſti-
pendiaria.

VII.

Pecunia ſtipendiaria non potheſt arreſtari.

VIII.

SSK(44) 58

VIII.

Stipendium petenti non potest objici compensatio.

IX.

Stipendiis nec Moratorium, nec falcidia nocet.


X.

Causæ stipendiorum non studio Theologico saltem, sed quoque Juridico & Medico & alii dicitorum, sunt in numero piarum.

XI.

Executor proprio filio, præsuppositis terminis habilibus, stipendum recte confert.





Cf. v. K., Diss., 1711/12


ULB Halle
004 171 527

3



SLA





23
Sec. 3 off. 25 Oct. 1766. num. 40.
22

QVOD DEUS FELIX FAUSTUM QUE ESSE JUBEAT¹⁵
 DISSERTATIO JURIDICA,
 DE EO 1712,7
 QUOD CIRCA
STIPENDIA
AD STUDIA
JUSTUM EST,
 QUAM
 SUMMO ADSPİRANTE NUMINE
 RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
 REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,
 DOMINO
PHILIPPO WILHELMO,
S.R.I. COMITE de BOINEBURG,
 SACRA CÆSAREÆ ATQUE REGLE CATHOLICÆ MAJESTATIS CONCILIARIO IN-
 TIMO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESiarum, MOGUNTINÆ ET TRE-
 VIRENSIS CANONICO CAPITULARI SENIORE, ET RESPECTIVE SUPREMO CHORI-
 EPISCOPO; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSI-
 LIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIQUE ERFURTENSIS
 PRO-PRINCIPE, ETC. ETC.
 INDULTU CELEBERRIMI FICTORIUM ORDINIS
 SUB PRÆSIDIO
DN. TOBIAE JACOB REinhartb^o/ J.U.D.
 NEC NON REGIM. AC JUDIC. ELECT. MOGUNT. ERFORD.
 ADVOCAT. ORDINARI,
 D. I. JULII, MDCCLXII.
 HORIS LOCOQUE CONSUETO
 PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET
GEORG HEINRICH DE ZIEGLER,
 ERF. LL. CULT.

Typos JOH. HENR. GROSCHI, Acad. Typegr.

